

DISPUTATIO II.

GENERALIA ENTIS ATTRIBUTA

SECTIO I.

De unitate transcendentali.

450. **Qua ratione enti, prout huiusmodi, attributa seu proprietates inesse queant.** — Proprium, seu proprietas, si severe accipiatur, duo postulat [71]. Primo, ut sit aliquid a rei essentia emergens, ac propterea ei superadditum, si minus physice, saltem metaphysice, quatenus scilicet de formali ratione unius non sit formalis ratio alterius. Secundo, ut per se primo conveniat essentiali, cuius est proprietas, ac propterea cum ipsa recipitur. Iam age, manifestum est, non posse cum tanto rigore proprietatem ullam de ente, prout ens est, affirmari: ratio enim entis est formaliter inclusa in omnibus, quotquot sunt vel esse possunt. Nomine proinde proprietatum entis ea dumtaxat intelligimus attributa, *quae omni omnino enti necessario conveniunt ac nomine entis non exprimentur.* Hoc nomine vocantur, quia notionem primordiale entis, prout ens est, sub aliquo respectu perficiunt, ac propterea ad instar proprii concipiuntur. Id autem contingit dupliciter. Cum enim notio entis, qua talis, positiva sit ac absoluta, potest ad instar proprietatis respectu ipsius concipi, vel aliqua negatio, quae est consequens omne omnino ens absolute, vel respectus aliquis consequens unumquodque ens in ordine ad aliud. Primo modo acci-

pitur entis indivisio, seu *unitas*: secundo modo *veritas* et *bonitas*, per respectum videlicet ad intellectum vel voluntatem, quae duae facultates omne omnino ens respicere queunt. Confer S. Thomam (Qq. Disp. *Verit.* q. 1. a. 1.). De his singillatim in reliqua huius disputationis parte dicendum ac primo de *unitate*, quippe cum consideratio absoluta praecedat respectivam.

451. **Quid notio unitatis significet, et cur tanquam proprietas entis asseratur.** — Porro *unum*, quod de ente, prout ens est, affirmatur, nihil aliud significat, nisi *ipsum ens prout est indivisum*. * *Unum*, quod convertitur cum ente, ait S. Thomas, non addit supra ens nisi negationem divisionis; non quod significet ipsam indivisionem tantum, sed substantiam eius cum ipsa; est enim unum idem quod ens indivisum. Patet ergo, quod unum quod convertitur cum ente, ponit quidem ipsum ens, sed nihil superaddit nisi negationem divisionis. (Qq. Disp. *Pot.* q. 9. a. 7.) Ex qua simplicissima notificatione cuique obvia, patet manifeste, cur tanquam proprietas entis asseratur. * Nam, pergit S. Doctor, omne ens aut est simplex aut compositum. Quod autem est simplex est indivisum et actu et potentia. Quod autem est compositum, non habet esse, quando partes eius sunt divise, sed postquam constituunt et componunt ipsum compositum. Unde manifestum est, quod esse cuiuslibet rei consistit in indivisione; et inde est, quod unumquodque sicut custodit sum esse, ita custodit suam unitatem. (*Summa th.* 1. p. q. 11. a. 1.)

452. **Corollaria doctrinae praecedentis.** — Ex modo dictis haec facile intelliguntur.

I. Notio unitatis, tametsi negativo modo explicatur, quoad rem ipsam explicatam est positiva. Ea enim declaratur ipsamet perfectio seu actualio entis, qua se ipsum continet, ne in plura diffusetur seu dispergatur, atque adeo non amplius sit ens, sed entia. Quare videmus eo perfectiorem modum unitatis in ente vigere, quo perfectius est ac magis in actu, ut patet in rebus spiritualibus, ac maxime in Deo, cuius esse ob summam sui perfectionem est omni modo unum, ut suo loco declarabitur.

II. Infertur praeterea unitatem modo explicatam merito vocari *transcendentalem*. Transcendit enim omnia genera, et unieuique enti, pro eo quod ens est, necessario convenit. Quare distinguere oportet hanc unitatem ab ea, quae dicitur *praedicamentalis* propria praedicamenti quantitatis, qua nimirum *unum* consideratur prout resultat ex *divisione continui*, ac propterea nequit habere locum nisi in rebus materialibus. Similiter distinguenda est ab uno *mathematico*, pro eo quod unum spectatur ut principium *numeri*, sive numerus dicatur de materialibus sive etiam de rebus immaterialibus. Notio enim unitatis transcendentalis, quae convertitur cum ente, prout est ens, absoluta est; contra notio unitatis, quae est numeri principium, superaddit relationem *partis et mensurae*, prout inferius melius patebit. Differt denique haec notio ab *unico*. Quod enim est unicum, non modo est indivisum, sed etiam excludit consortium alterius cui assimiletur in eo, in quo vocatur unicum. Sic Deus dicitur non modo unus, sed unicus, quia non sunt plures Dii. Contra unusquisque homo est vere et proprie unus homo, sed non unicus.

III. Hinc ulterius sequitur, unitatem, de qua loquimur, spectari debere in ente, non respective ad alia entia, sed in ipso ente secundum seipsum: ut enim modo diximus, notio est absoluta, non respectiva, neque huiusmodi respectus requiritur ut aliquid ens dicatur, non entia. Inde vero habetur entis *divisio a quolibet alio*: secus enim iam non amplius unum esset, sed multiplex. Hic tamen conceptus, divisionis videlicet ab alio, non constituit strictie loquendo ipsam rationem *unius*, sed potius *alienius*. * Dicitur enim, ait Angelicus, *aliquid quasi aliud quid*. Unde sicut ens dicitur unum, in quantum est indivisum in se, ita dicitur aliquid in quantum est ab aliis divisum. (Qq. Disp. *Verit.* q. 1. a. 1.)

IV. Divisio, cuius privatione notio unitatis constat, duplex est et utraque excludenda est, quo ens dicatur revera unum. Prior est divisio entis in *plura eiusdem rationis*, quo modo ex. gr. homines non sunt homo, ac urbes non sunt urbes. Altera est divisio entis in *suis constitutivis*,

quo modo desinit homo per dissolutionem corporis, et urbs per destructionem. Quocirea duo possunt aequae convenire in uno modo indivisionis, quin aequae convenient in altero; ut videre est in exemplis allatis, in quibus prior indivisio similis plane est, non vero posterior, ut consideranti liquido apparebit.

453. **De uno per se, vel per accidens.** — Ad diversos modos unitatis intelligendos apprine fact, quod ultimo loco adnotavimus. Primo itaque spectari potest ens, pro eo quod ens est, secundum indivisionem quam postulat in suis constitutivis. Haec constituit unitatem entis, quae dici solet *formalis* seu essentialis, eaque duplex est potissimum, altera videlicet vere et proprie talis, altera vero nonnisi improprie, et per quandam extrinsecam analogiae attributionem. Prior vocatur *per se simpliciter*; secunda *per accidens* et *secundum quid*. Dicitur porro unum *per se* seu *simpliciter*, id cuius esse est vere indivisum ac propterea, in ipso et simpliciter loquendo, est unum ens non multa (1). Unum vero *per accidens*, vel *secundum quid* habetur in eo, quod est divisum secundum esse, ac proinde est multa simpliciter, est tamen indivisum secundum aliquam rationem, puta secundum aggregationem, vel ordinem, vel effectum, aut aliam huiusmodi habitudinem. Quare nihil prohibet idem ens esse unum et non unum, pro hoc duplici unitatis modo.

454. **De unitate simplicitatis et compositionis.** — Altera divisio unitatis formalis est in unitatem *simplicitatis* et *compositionis*. Prior elucet in ente quod in suis consti-

(1) Non miretur quispiam, si in hac aliisque similibus descriptionibus idem videatur explicari per seipsum. Hoc enim est proprium notionis primae, ut sit inexplicabilis per notiora, sed circumlocutione opus est, qua sub aliis terminis non notioribus exponatur, in quibus ad ipsam tandem regressus sit, ut ipsa se explicet. Id porro contingit in re praesenti. Nam eo modo aliquid dicitur simpliciter, seu absque addito unum, quo dicitur simpliciter et absque addito ens. Ens autem dicitur ab esse. Illud ergo erit simpliciter unum ens, cuius esse est vere indivisum.

tutivus est indivisum actu et potentia, propterea quod nec divisum est nec divisioni seu dissolutioni est obnoxium. Eiusmodi est simplicitas, quae elucet in substantiis spiritualibus. Altera habetur in ente, quod est *unum ex pluribus*, in qua propterea, licet non sit actu divisum, dividi tamen seu resolvi potest. Hoc indivisionis seu unitatis genus cernitur in rebus materialibus. Iam age, manifestum est, unitatem *per accidens* semper coniungi cum unitate compositionis, unitatem vero *per se* semper haberi in ente simplici. Contra, unitas compositionis quandoque est per se, quandoque vero per accidens. Per se habetur in unitate continui: item in unitate naturae, ac generatim quotiescumque plura, sicut potentia et actus, in uno eodemque genere mutuo se complent, ut suo loco plenius explicabitur. Unitas vero compositionis per accidens his fere modis contingit. Primo quidem per unitatem merae *aggregationis*, in qua plura nullo alio vinculo colligantur nisi contiguitatis aut loci, ut acervus lapidum. Haec omnium minima est, ac vix unitas dici potest. Secundo per unitatem *ordinis*, qualis apparet in exercitu, ac in operibus artificialibus. Haec desumitur ab unitate finis, quippe ordo in plurium conspiratione ad communem finem generatim constituitur. Tertio cernitur in unitate substantiae cum accidente, qualis ex. gr. habetur in hoc composito, *homo albus*, vel *musicus*. Haec propius accedit ad unitatem *per se*. Substantia enim et accidens mutuum eamque essentialem habitudinem habent. Inde tamen non constituitur aliquid per se ac simpliciter unum; non enim substantia et accidens se complent in una eademque ratione. Quartus denique modus unitatis per accidens elucet in unitate mere dynamica, prout videlicet plura coniunguntur in uno effectu producendo, quemadmodum ex. gr. multi trahentes navim accipiuntur per modum *unius agentis*, quia videlicet faciunt *unum operatum*. Hunc modum unitatis vocat Angelicus *contactum virtutis* (*Cont. Gent.* lib. 2. c. 56.), de quo plura opportuniori loco trademus.

455. **De unitate numerica et universalis.** — De utraque satis superque egimus in 3. disputatione Logicae. Id unum

hoc loco addimus, utramque desumi ex altero modo indivisionis, quae convenit enti, qua tali, pro eo quod est indivisum in plura *eiusdem rationis*, seu, ut alii loquuntur, *in plura quale ipsum est* [452, IV.]. Est autem analogia quaedam *proportionalitatis* inter praesentem divisionem, et divisionem praecedentem, qua unitas formalis alia dicitur esse simplicitatis, alia vera compositionis. Sicut enim ens simplex est indivisum in suis constitutivis actu et potentia, compositum vero actu sed non potentia; ita ens numerice unum nec dividitur nec dividi potest in plura eiusdem rationis, ens contra unum unitate abstractionis, seu universalitatis, est quidem actu indivisum, secundum quod substat sub una intentione universalitatis, potentia tamen divisibile est, prout in pluribus inferioribus inesse vel de eis praedicari potest identice et divisim [366, obieq. III.].

456. **Corollarium.** — **Cuiusmodi unitas sit de ratione entis, prout ens est.** — Ex tradita explicatione conceptus unitatis transcendentalis sponte intelligitur, nulum dari ens quod in statu, sive reali, sive intelligibilitatis, secum non ferat suam propriam unitatem formalem: habebit autem praeterea unitatem vel numericam, vel universalem, pro eo quod antecesser ad praecisivam abstractionem mentis, qua universale constituitur, vel consequenter ad eam spectetur. Ratio facilis est ex praecedentibus. Ad unitatem enim entis, prout huiusmodi, constituendam duplex modus indivisionis necessario requiritur, videlicet indivisio in suis constitutivis, et indivisio in plura eiusdem rationis. Quocirca cum omne ens sit unum, necessario requirit utrumque indivisionis modum. "Ex eo quod, ait S. Thomas, aliquid alicui attribuitur, oportet, quod attribuantur ei omnia, quae sunt de ratione illius: sicut cuiusque attribuitur homo, oportet quod attribuitur ei animal rationale." (*Summa th.* 1. p. q. 28. a. 3.) Porro, quatenus primum modum indivisionis habet, ens est ac nominatur *formaliter* unum: quatenus vero alteram etiam sibi vindicat indivisionem, erit consequenter unum *numericè* vel *universaliter*, prout oppositum divisionis modum excludit actu et potentia, vel actu tantum sed non potentia.

Quare unitas entis, quae transcendentalis vocatur, minime opponenda est alicui et praedicti generibus unitatis, quippe haec non sunt nisi *speciales modi* unitatis, quam ens, prout ens est, sibi vindicat (1).

457. **De conceptu multitudinis, prout opponitur uni.**
* *Multum*, ait S. Thomas, accipitur dupliciter, uno modo absolute, et sic opponitur *uni*: alio modo, secundum quod importat excessum quemdam, et sic opponitur *paucis*. Unde primo modo duo sunt multa, non autem secundo. (Summa th. 1. p. q. 11. a. 2.) Patet igitur notionem multitudinis, prout contra unitatem entis dividitur, absolute accipiendam

(1) Hanc doctrinam manifeste tradit S. Thomas tum alibi, tum praesertim (*Summa th. 1. p. q. 11. a. 1.*) In hoc posteriori loco cum assererit unitatem rei transcendentalem, quae nimirum omni omnino enti, prout ens est, convenit, *huius unitatis diversos modos tradens*, sic loquitur. * Dicendum, quod nihil prohibet id, quod est uno modo divisum, esse alio modo indivisum: sicut quod est divisum numero est indivisum secundum speciem; et sic contingit aliquid esse uno modo unum, alio modo multa. Sed tamen si sit indivisum simpliciter; vel quia est indivisum secundum id quod pertinet ad essentiam rei, licet sit divisum quantum ad ea quae sunt extra essentiam rei, sicut quod est unum simpliciter et multa secundum accidentia; vel quia est indivisum in actu et divisum in potentia, sicut quod est unum toto et multa secundum partes; huiusmodi erit unum simpliciter et multa secundum quid. Si vero aliquid e converso sit indivisum secundum quid, et divisum simpliciter, utpote quia est divisum secundum essentiam, et indivisum secundum rationem, vel secundum principium sive causam: erant multa simpliciter et unum, secundum quid, ut quae sunt multa numero et unum specie, vel unum principio. Sic igitur ens dividitur per unum et multa quasi per unum simpliciter et multa secundum quid. Nam et ipsa multitudo non contineretur sub ente nisi contineretur aliquo modo sub uno. Dicit enim Dionys. (*De Divin. Nomin. c. ult. lect. 1.*) quod non est multitudo non participans uno. Sed quae sunt multa partibus, sunt unum toto; et quae sunt multa accidentibus, sunt unum subiecto; et quae sunt multa numero, sunt unum specie; et quae sunt speciebibus multa, sunt unum genere; et quae sunt multa processibus, sunt unum principio. (loc. cit. ad 2.) Hac usque S. Doctor. Ex quo manifeste patet, minime confundi debere unitatem *transcendentalem* cum unitate *formali*: haec enim non est nisi *specialis modus* unitatis transcendentis, prout declaratum est.

esse. Cum autem unitas negationem divisionis supra rei entitatem addat, multitudo, quae hanc unitatem privat, necessario consequitur entis divisionem. Si autem quaeratur, quo ordine praedicti conceptus se excipiant, optimam et subtilem responsum accipiat ab eodem S. Doctore. * Oportet, ait, quod divisio sit prior unitate, non simpliciter, sed secundum rationem nostrae apprehensionis. Apprehendimus enim simplicia per composita: unde definimus punctum, *cuius pars non est*, vel *principium lineae*. Sed multitudo, etiam secundum rationem, consequenter se habet ad unum: quia divisa non intelligimus habere rationem multitudinis, nisi per hoc quod utrique divisorum attribuis unitatem; unde unum ponitur in definitione multitudinis, non autem multitudo in definitione unius. Sed divisio cadit in intellectu ex ipsa negatione entis; ita quod primo cadit in intellectu *ens*, secundo quod hoc ens non est illud ens, et sic secundo apprehendimus *divisionem*, tertio *unum*, quarto *multitudinem*. (loc. cit. a. 1. ad 2.)

458. **Quid numerus et in quo differat a multitudine.**
Ex his quae modo dicta sunt, patet, quid intersit inter *numeri* ac *multitudinis* conceptum. Ad notionem enim multitudinis duo concurrunt, videlicet notio unitatis, seu entis indivisi, quoad ea unde multitudo coalescit, et uniuscuiusque divisio ab aliis. Ad rationem vero numeri est praeterea superaddenda notio *partis* et *mensurae*, quae in simplici conceptu *multorum* minime includuntur. Ut enim multitudo dicatur *numerus*, requiritur conceptus alicuius unitatis, quae aliquoties sumpta plura, ut plura, in unam determinatam collectionem colligat. Haec porro unitas, quae tanquam communis mensura accipitur, vel potest esse ipsamet communissima ratio entis, vel alicuius entis determinati ratio, puta *hominis*, *corporis*, etc. In priori casu habetur numerus, qui dicitur *abstractus*; in altero vero numerus dicitur *concretus*.

459. **Quo pacto unum et multa opponantur.** — Pauca nunc dicenda de oppositione, quae existit inter conceptum *unius* et *multorum*. Iam age, si multa concipiuntur per modum numeri, et comparantur cum suis unitatibus, patet

inter utrumque conceptum haberi oppositionem relativam, qualis est inter totum et partem, ac inter mensuratum et mensuram. Si vero fiat praeciso ab hac consideratione, tunc rursus *unum* et *multa* possunt spectari dupliciter. Primo, prout sunt membra in quae communissima ratio entis dividitur: et hoc modo opponuntur analogice secundum *perfectum* et *imperfectum*, ut paulo ante [456, nota] docuimus cum S. Thoma. Secundo spectari queunt secundum proprias et formales rationes *unius* et *multorum*, et tunc opponuntur *privative*, quatenus unum negat divisionem, quae est de ratione multitudinis, et vicissim multitudo negat indivisionem quae est de ratione unitatis. Ceterum, ut bene observat Suárez, * quia multitudo includit unitatem, et requirit indivisionem in singulis unitatibus, quibus ipsa multitudo constat, unum vero e contrario non includit multitudinem, nec divisionem, quae est de ratione multitudinis, sed potius removet illam, ideo simpliciter dicitur unum opponi multitudini per modum privationis, quam e converso. » (*Metaph.* D. 4. sect. 6. n. 2.)

SECTIO II.

De identitate et distinctione.

460. **Argumentum.** — Hi duo conceptus recte attribuuntur enti, qua tali, sed revera non differunt ab uno et multiplici, nisi prout his superaddunt habitudinem rationis mox declarandam. Est porro de hac re agendum tum ut notio unitatis transcendentalis penitus explicetur, tum ut controversiae momenti non levis, quae inde exurgunt, et intelligantur et pro dignitate solvantur.

461. **Notio identitatis.** — Haec notio inter primas, quae in mente efflorescunt et quae secundum se ulterius explicari non possunt, iure merito adnumeratur. Ratio perspicua est. Qui enim quaerit quid sit identitas, nihil aliud

quaerit nisi propositionem aliquam affirmantem quid sit res: affirmatio autem qualibet identitatem aliquam subiectum inter et praedicatum enuntiat. Sicut vero ceterae notiones huius generi possunt aliquo pacto declarari per effectus, vel per ordinem ad intellectum seu voluntatem; quo modo dicimus bonum, quod omnia appetunt, verum, quod potest vera cognitione percipi: sic etiam ratio identitatis potest manifestari per effectum, quem habet in intellectu nobis experimentaliter notum. Sic igitur recte declaratur identitas hoc pacto: *Affirmabilitas in recto unius de altero*. Dicitur affirmabilitas; per hoc enim quod praedicatum est idem cum subiecto, iure merito de eo affirmari potest. Additur *in recto*; quod enim de alio affirmatur solum in obliquo, saepenumero non est unum idemque cum ipso. Sic de homine affirmatur sapientia in obliquo, dum dicitur, *homo est sapiens*, ac similiter de Verbo affirmatur humanitas in obliquo dum dicitur, *Verbum est homo*; cum tamen sapientia ab homine, et humanitas a Verbo distinguatur secundum rem. Hinc patet, duo esse distinguenda in hoc conceptu, videlicet ipsam relationem, quam exprimit hoc nomen *identitatis* seu *affirmabilitatis*, et fundamentum praedictae relationis. Porro relatio hoc nomine expressa est rationis dumtaxat, quae acie sua rem unam geminet eamque sibi quasi opponat. Apposite S. Thomas. * Relatio, quae importatur per hoc nomen *idem*, est relatio rationis tantum, si accipiatur simpliciter *idem*: quia huiusmodi relatio non potest consistere, nisi in quodam ordine, quem ratio advenit alicuius ad seipsum, secundum aliquas eius duas considerationes. » (*Summa th.* 1. p. q. 38. a. 1. ad 2.) Quod spectat vero fundamentum huius relationis, est ipsamet realis unitas entis. Ex hoc enim, ut modo diximus, relatio identitatis resultat, quod intellectus *una re utitur, ut multiplici*, pluribus nempe conceptibus eam sibi obiciens, in quibus sicut in multiplici sui imagine relucet.

462. **Notio similitudinis: quo pacto a notione identitatis efflorescat.** — Conceptui identitatis, quae declaravimus, affinis est conceptus *similitudinis*, eaque viget

inter entia plura numero, quae in alioquo uno conceptu obiectivo conveniunt. Quare, extenso nomine, haud raro appellatur *identitas*, non idcirco quod ea, quae dicuntur similia, identificentur inter se, sed propterea quia identificantur cum illo conceptu uno obiectivo cum quo comparantur vel comparari possunt. Utrumque modum identitatis his verbis complexus est Aristoteles (4. al. 5. *Metaph.* c. 9), ubi, cum egisset de variis generibus identitatis, concludit: *Quare patet, quod identitas unitas quaedam essentiae est, aut plurium, aut cum ut pluribus utitur.* Est scilicet duplex modus identitatis: alter fundatus in unitate obiectiva conceptus pluribus communis, unde enascitur similitudo, seu identitas similitudinis; alter vero fundatus in unitate reali, resultans ex eo, quod intellectus una re utitur, ut multiplici, pluribus nempe conceptibus eam sibi obiectis, ut sic idem de seipso affirmari queat. Hinc perspicue patet, quid intersit inter utramque notionem. Discrimina duo sunt potissimum. Imprimis enim ea, quae sunt similia, prout huiusmodi, sunt reipsa plura ac propterea unum de altero non affirmari, sed negari potius debet: contra accidit in vera et proprie dicta identitate. Deinde relatio similitudinis vera et realis est, secus ac relatio identitatis. Ordo enim eorum, quae invicem assimilantur, antecedit mentis operationem: nihil contra ordinatur ad seipsum, nisi prout operatione mentis quodammodo duplicatur. Quare S. Thomas, post verba paulo superius recitata, addit immediate: *Secus autem est cum dicuntur aliqua eadem esse, non in numero, sed in natura generis sive speciei.*

463. **Principium seu axioma identitatis.** — Ex modo tradita explicatione, facili negotio primum est intelligere, quinam sit legitimus sensus principii identitatis, quod sic effertur: *Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Intelligitur etiam quo pacto pro diversitate materiae, qua de agitur, applicari debeat. Iam age, sensus quo universe illud accipere oportet, hic est, ut quae cum tertio identificentur, inter se etiam idem esse dicantur, sed secundum illum ipsum modum quo cum illo tertio identificantur. Hic

enim sensus dumtaxat est per se evidens, et ex effato contradictionis legitime profluens. Quare diversam postulat applicationem, prout sermo est de vera et proprie dicta identitate, vel solum de identitate similitudinis. Principia enim diversimode applicari debent pro diversitate materiae, quemadmodum, pro terminorum diversitate, modo legitima, modo prava argumentatio habetur. Si igitur sermo est de priori identitatis modo, hic sensus habetur: *Intentiones seu rationes obiectivae, quae identificantur uni rei seu subiecto, etiam inter se sunt idem, secundum rem scilicet, h. e. in recto et materialiter.* Talem applicationem habet principium identitatis in omni legitimo syllogismo affirmante. Sic, cum ego ita ratiocinor: *Omne animal est substantia, Sed homo est animal, Ergo homo est substantia;* minime affirmare intendo in conclusione, quod intentio seu ratio obiectiva, quae exprimitur voce seu conceptu hominis, eadem sit, ac ea quae significatur voce seu conceptu substantiae, quod plane falsum esset: sed hoc tantum, videlicet: *Subiectum humanitatis est subiectum animalitatis* (1). Sin vero agatur de identitate similitudinis, hunc alium habet sensum effatum praedictum: *Plura subiecta, quae identificantur uni conceptui seu intentioni obiectivae, identificantur etiam inter se secundum eandem intentionem seu rationem obiectivam.* Verbi gratia, si triangulum A convenit secundum altitudinem cum parallelogrammo B, item triangulum C secundum altitudinem convenit etiam cum eodem parallelogrammo, bina triangula A et C altitudinem habent communem. Nempe minime affirmo in hoc casu, quod triangulum A sit triangulum C, sed utrumque invicem assimilari in altitudine. Aliud huius rei exemplum,

(1) Egregie in hanc rem S. Thomas. "Differt compositio intellectus a compositione rei. Nam ea, quae componuntur in re, sunt diversa: compositio autem intellectus est signum identitatis eorum, quae componuntur. Non enim intellectus sic componit, ut dicat, quod homo est albedo; sed dicit quod homo est albus; id est, habens albedinem. Idem autem est subiecto quod est homo, et quod est habens albedinem." (*Somma th.* 1. p. q. 89. a. 5. ad 3.)

servata proportione, habes in augustissimo mysterio divinae Trinitatis. Nam tres divinae personae identificantur uni divinitati secundum eundem esse absolutum. Hinc vero non licet inferre, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum supposito non distingui, sed solum in esse absoluto essentialiter. Cuius rei gratia, personae divinae, tametsi invicem distinctae, sunt omnino consubstantiales idemque numero Deus. Discrimen igitur inter hoc exemplum et proxime praecedens non est in eo, quod principium identitatis habeat locum in rebus creatis, minime vero in divinis, ut quidam Doctores non multum accurate dixerunt, sed in *diverso modo applicationis orto ex materiae diversitate*. In rebus enim creatis intentio obiective una, cum qua plura comparantur, nequit aliam unitatem habere nisi logicam, ac propterea similitudo, quae inde enascitur, hanc dumtaxat unitatem praesertit; contra in divinis ratio essentialiter seu naturae divinae est una non solum secundum unam intentionem, sed etiam realiter ac numerice, ideoque similitudo, quae inde exoritur inter personas divinas, est secundum unitatem verae et realis consubstantialitatis. Sed de hac re theologi; interim, si placet, confer S. Thomam (1. *Dist.* 33. q. 1. a. 1. praesertim in resp. ad 2.).

464. Varia genera identitatis ac similitudinis. — Identitas, proprie talis, vel est *physica* vel *moralis*. Illa existit in ente, quod idem dicitur eo, quod eius physica realitas perseveret, quemadmodum accidit in substantiis spiritalibus. Sic animus perpetuo vivens, perpetuo est sibi idem secundum suam substantiam. Moralis vero identitas vocatur, quae talis est secundum existimationem, eo quod etsi physica constituenta alicuius immutantur, haec tamen immutatio paulatim ac sensim sine sensu efficitur ita, ut considerationem effugiat. Id videre licet in societate, et etiam in corporibus physicis, praesertim artificialibus.

Quod spectat vero identitatem similitudinis, praecipua eiusdem divisio ea est, quam tradit S. Thomas his verbis. * Multiplex est similitudo secundum multos modos

communicandi in forma. Quaedam enim dicuntur similia, quae communicant in eadem forma secundum eandem rationem et secundum eundem modum; et haec non solum dicuntur similia, sed aequalia in sua similitudine; sicut duo aequaliter alba, dicuntur similia in albedine: et haec est perfectissima similitudo. Alio modo dicuntur similia, quae communicant in forma, secundum eandem rationem, et non secundum eundem modum, sed secundum magis et minus, ut minus album dicitur simile magis albo: et haec est similitudo imperfecta. Tertio modo dicuntur similia, quae communicant in eadem forma, sed non secundum eandem rationem, ut patet in agentibus non univocis. Cum enim omne agens agat sibi simile, in quantum est agens, agit autem unumquodque secundum suam formam; necesse est, quod in effectu sit similitudo formae agentis. Si ergo agens sit contentum in eadem specie cum suo effectu, erit similitudo inter faciens et factum in forma secundum eandem rationem speciei, sicut homo generat hominem. Si autem agens non sit contentum in eadem specie, erit similitudo, sed non secundum eandem rationem speciei. . . . Si igitur sit aliquod agens quod non in genere contineatur, effectus eius adhuc magis remote accedet ad similitudinem formae agentis, non tamen ita, quod participet similitudinem formae agentis secundum eandem rationem speciei aut generis, sed secundum aliqualem analogiam, sicut ipsum esse est commune omnibus. Et hoc modo illa, quae sunt a Deo assimilantur ei, in quantum entia, ut primo et universali principio totius esse. . (Summa th. 1. p. q. 4. a. 3.)

465. Notio distinctionis ac diversitatis. — Ut identitati *distinctio*, ita similitudini opponitur *diversitas*: quare hi conceptus minime debent permisceri, ut iam alibi notavimus [366, obieci. V.]. Distinctio autem potest esse *realis* et *logica*; ac utraque vel est *adequata* vel *inadequata*. Realis opponitur identitati vere et proprie dictae, eaque existit in re ipsa ante omnem mentis operam. Ea porro viget *negative* quidem inter esse et non esse eiusdem rei, *positive* autem inter duo, quae aliquid in re ponunt

ita, ut, citra mentis praecisionem, unum de alio in recto affirmari nequeat. Primo modo realiter distinguuntur invicem ex. gr. *lux* et *tenebrae*: alio modo duo individua, vel plura quae veram et physicam compositionem efficiunt. Distinctio vero *logica* seu *rationis* ea est, quae viget non in re ipsa, cui attribuitur, sed in consideratione mentis, quae unam eandemque rem quasi geminat, pluribus videlicet conceptibus eam ita exprimendo, ut singuli possint de ea in recto affirmari. Quocirca huiusmodi distinctio verae et reali identitati rei secum ipsa minime opponitur, immo ipsamet relatio identitatis talem distinctionem necessario postulat, ut ex praemissis elucet. Quare tale genus distinctionis non tribuitur rebus nisi per extrinsecam denominationem a distinctione seu pluralitate actuum mentis, quibus una eademque res concipitur, tametsi non desit saepe fundamentum ex parte ipsarum rerum ut sic concipiantur, ut mox explicabitur. Dicitur autem distinctio esse *adaequata*, si membra, inter quae viget, ita invicem comparantur, ut unum non sit pars alterius: qualis est ex. gr. inter duo supposita, vel inter materiam et formam rei naturalis. Contra erit *inadaequata*, si alterum membrorum, quae distinguuntur, contineatur in altero, quasi pars in toto, ut si caput hominis cum eius corpore comparetur.

466. Signa realis distinctionis. — Ex modo tradita explicatione patet, generale indicium ad realem distinctionem asserendam haberi, si praedicata unius conceptus obiectivi, ante omnem mentis praecisionem, sint revera opposita praedicatis alterius. Secus enim veritas primi principii, contradictionis videlicet, corrueret: omnis quippe oppositio veri nominis ininitur in oppositione omnium prima, quae est contradictio. Quocirca cum in controversiam adducitur, num aliqua reipsa distinguantur nec ne, totus controversiae cardo in hoc est, ut talis oppositio affirmetur vel negetur. Porro in duplici casu potissimum talis oppositio est plane manifesta.

Primus est, cum duo sic habent, ut unum ab alio revera procedat, tamquam a suo *vero et reali principio*. Tum enim liquido patet, inter utrumque adesse relatio-

nem veram et realem: quae vero sunt eiusmodi, eo ipso mutuo opponuntur, oppositione nimirum relativa: nihil autem opponitur sibi et ad seipsum refertur. Hinc theologi ex vera procedentia, qua divina revelatione edocemur, Filium a Patre, ac Spiritum Sanctum ab utroque procedere, realem distinctionem divinarum personarum colligunt ac declarant. Hinc vero colligitur res maxime notanda, videlicet minime sufficere solius rationis distinctionem, sed necessario ad aliquod genus distinctionis realis recurrendum esse, semper ac duo ita comparata sunt invicem, ut verus aliquis physicae causalitatis modus inter ea intercedat, puta facientis ad factum, vel materiae ad formam seu potentiae ad actum. Omnis namque effectus a sua causa vere procedit: nihil autem a seipso procedere potest, ut dictum est.

Sumitur secundo manifestum indicium distinctionis realis ex *mutua reali separabilitate duorum*, cum videlicet bini conceptus obiectivi ita se habent, ut a parte rei et in individuo mutuo disungi ac seorsum permanere possint. Ita communiter Doctores omnes Aristotelem sequuti, qui hanc regulam tradit (*7. Top. c. 1.*) sic inquiens: *Amplius si potest alterum sine altero esse, non erit idem*: et est satis manifesta. Si enim, quae sunt huiusmodi, essent reipsa unum idemque, ens a seipso separaretur, nempe non amplius esset id quod est. Atqui id sine contradictione fieri non potest.

Dixi autem in praecedenti regula: *a parte rei et in individuo*. Quod enim est ab alio separabile secundum communem aliquam rationem conceptam, quemadmodum ex gr. *animal* potest esse sine *rationali*, minime indicio est ab eo realiter distinguendi in individuo, in quibus utrumque invenitur, puta in homine, ut suo loco notavimus [367, obiec. II. fin.].

Dixi praeterea: *mutuo disungi*. Si enim separabilitas non sit mutua, distinguere oportet. Vel enim id fieri nequit sine aliqua intrinseca et per mutatione subiecti quod permanet, vel secus. Si primum, existimo id esse sufficiens indicium alicuius distinctionis realis. Vera enim

et interna mutatio subiecti ne concipi quidem potest sine vera et physica compositione ex potentia et actu in eo, quod mutatur vel mutari potest, ut suo loco plenius ostendetur. Atqui talis compositio, ut paulo ante diximus, manifeste subaudit realem distinctionem inter ea, quae sic componuntur. Sin vero hoc genus separabilitatis contingere queat sine interna mutatione subiecti, non videtur id satis esse ad realem aliquam distinctionem hoc solo titulo asserendam. Hoc modo ex. gr. intelligere divinum ita terminatur ad obiecta contingentia, ut absque ulla sui mutatione posset ea non intelligere, si videlicet non existerent. Atqui nefas est, aliquid propterea realis compositionis vel distinctionis genus obtrudere in summa actualitate divini intellectus. Quocirca nulla ex hac parte habetur contradictio, ut videtur contendere Suarez (*Metaph.* D. 7. sect. 2. n. 3), quae profecto contradictio si adesset, neque in Deo locum habere posset.

467. Distinctio rationis ratiocinantis, ac rationis ratiocinatae. — Distinctio logica seu rationis, ut patet ex descriptione paulo ante tradita, proprie non est, tamquam in subiecto, nisi in mente, quae pluribus conceptibus unum idemque obiectum concipit. Quare nonnisi denominatione quadam huic ipsi obiecto attribui potest. Ceterum id potest contingere dupliciter. Uno modo ita, ut tota haec distinctio unice ex parte mentis habeatur, sine ullo videlicet fundamento ex parte obiecti quod concipitur. Talis distinctio vocatur rationis *ratiocinantis*, ut est ex. gr. quae habetur per conceptus vel nomina synonyma. Potest insuper sic haberi, ut quamvis ea, quae concipiuntur, a parte rei sint unum idemque, est tamen in eis quod occasionem seu ansam praebeat, cur diversis conceptibus a mente exprimantur. Quod si quaeratur qua ratione id fieri contingat, ita rem explicare licet ex mente Angelici. Nempe, ut alias animadvertimus [8], obiecta cognoscibilia huc tendunt, ut quoad fieri possit mentem nostram sibi intentionaliter assimilent, in ea videlicet producendo speciem, quae sit viva quaedam eorumdem imago; ea ferme ratione qua in ordine physico quaevis causa

efficiens intendit exprimere in suo effectu similitudinem verae perfectionis. At enim una eademque causa, utcumque simplex et indivisibilis, non semper effectum sibi assimilat assimilatione perfecta et adaequata, atque adeo optime fieri potest ac saepe fit, ut ab una eademque causa plures iique diversi effectus proficiantur, qui singuli diverso modo repraesentent perfectionem suae causae, quantumvis unam et indivisibilem. Similiter, in ordine intentionali, non semper obiectum, licet indivisibile, ingenerat in mente nostra perfectam et adaequatam imaginem suae perfectionis, et sic exoriuntur de una eademque re plures conceptiones, quibus singulis tota respondet, sicut res suae imagini imperfectae. Quando id habetur, distinctio reipsa quidem non est nisi in mente, quae pluribus conceptibus eandem rem quasi multiplicat, existit tamen ex parte ipsiusmet rei fundamentum seu ratio cur sic concipiatur, nempe ipsa eiusdem entitas quae singulis conceptionibus non respondet adaequate et perfecte, ac proinde pluribus diversimode repraesentari exigit, ut per unam quasi imaginem suppleat defectui in repraesentando qui habetur in altera. Iam age, haec et non alia est natura distinctionis mentalis, quam rationis *ratiocinatae* appellat. Hoc modo S. Thomas explicat distinctionem, qua diversa Dei attributa concipimus. *Omnes, ait, istae multae rationes et diversae habent aliquid respondens in ipso Deo, cuius omnes istae conceptiones intellectus sunt similitudines. Constat enim quod unius non potest esse nisi una similitudo secundum speciem, quae sit eiusdem rationis cum ea; possunt tamen esse diversae similitudines imperfectae, quarum quaelibet a perfecta formae repraesentatione deficiat. Cum ergo, ut ex superioribus patet, conceptiones perfectionum in creaturis inventarum sint imperfectae similitudines, et non eiusdem rationis cum divina essentia, nihil prohibet, quin ipsa essentia omnibus praedictis conceptionibus respondeat, quasi per eas imperfecte repraesentata. Et sic omnes rationes sunt quidem in intellectu nostro, sicut in subiecto; sed in Deo sunt ut in radice verificante has conceptiones. Nam non

essent verae conceptiones intellectus, quas habet de re aliqua, nisi per viam similitudinis illis conceptionibus res illa responderet. » (Qq. Disp. Pot. q. 7. a. 6.) Id ipsum S. Doctor egregie exponit (1. *Dist.* 2. q. 1. a. 3.), ubi inter alia haec habet in resp. ad 6. « Tunc aliud est unum re et ratione multiplex, quando una res respondet diversis conceptionibus et nominibus, ut de ea verificentur: sicut punctum, quod cum sit una res respondet secundum veritatem diversis conceptionibus de eo factis, sive prout cogitatur in se, sive prout cogitatur centrum, sive prout cogitatur principium linearum. Et haec rationes sive conceptiones sunt in intellectu, sicut in subiecto, et in ipso puncto, sicut in fundamento veritatis istarum conceptionum. »

468. **Distinctio rationis stricte praecisiva, et late praecisiva.** — Hic vero diligenter animadvertas, distinctionem rationis ratiocinatae quandoque esse stricte praecisivam, quandoque vero late dumtaxat, sive, ut alii loquuntur, *penes implicitum et explicitum*. Erit stricte praecisiva, quando ratio aliqua ita abstrahit ab alia, ut licet in ea natura, in qua simul insunt, non distinguantur nisi ratione; seorsum tamen esse possunt, in diversis scilicet individuis vel naturis. Eiusmodi sunt quae *virtualem* compositionem in re efficiunt, quam in Logica [364] declaravimus et in sectione sequenti uberius expollemus. Viget e converso distinctio *late praecisiva*, vel solius explicationis, quando una ratio praescindit solummodo ab *expressa* conceptione alterius, quamvis haec implicite contineatur in priori, et ambae ita cohaereant, ut separatae nusquam inveniuntur, nec inveniri queant. Exemplo sint rationes ipsae *transcendentales*, quas consideramus, ens, unum, verum, bonum. Profecto nihil invenire licet, de quo verificetur aliqua praedictarum rationum, quin ceterae simul verificentur: potest tamen aliquid intelligi, prout ens, quin expresse intelligatur, ut unum, et sic porro.

SECTIO III.

De distinctione attributorum rei essentialium.

469. **Occasio et sensus praesentis controversiae.** — Quaestio, quam resolvendam aggredimur, valde affinis est ei, quae tractata est in Logica [361, seqq.]. Eius autem resolutio necessaria est, tum ob rei gravitatem, tum etiam ut constet, num praeter distinctionem realem ac rationis, quam declaravimus, aliud distinctionis genus admittere nec ne oporteat. Huius porro controversiae occasio haec est. Nimirum cum non possimus unico conceptu totam alicuius rei essentiam comprehendere, huic defectui supplementum distinguendo veluti per partes, quae ad essentiae intelligibilitatem pertinent, et sic diversa praedicata eidem attribuimus, ut perfecta, quoad fieri potest, ipsius definitio a nobis obtineatur. Hoc pacto distinguimus diversos gradus genericos et específicos unius eiusdemque rei. Simili modo in ipsis simplicissimae essentiae divinae consideratione plura distinguimus attributa, puta sapientiae, bonitatis, etc. lam vero manifestum est, intentiones seu rationes intellectas, quas significant nomina, quibus hos gradus et haec attributa exprimimus, esse diversas, neque una eademque enuntiatione contineri. Sic aliud plane intelligo et affirmo, cum dico Petrum ex. gr. esse *animal*, et cum dico eundem esse *rationalem*. Similiter non idem est, si Deus dicatur *iustus*, ac si dicatur esse *miseriors*. Quaeritur itaque, num sola distinctio rationis, quam supra exposuimus, ad hanc diversitatem tuendam sufficiat. Fuere nempe Doctores, sive philosophi sive theologi, qui id negarunt. Cum vero ex alia parte haud difficulter ostendatur, quot et quam gravia incommoda habeantur, si ad distinctionem realem recurratur, conati fuerunt novum

distinctionis genus medium inter utramque excogitare, ut praedicta diversitas rationum intellectarum simul cum reali unitate ac simplicitate eiusdem essentiae cohaerere posset. Potissimum moti sunt ex veritate primi principii, quod idem omnino idem non potest verificare contradictoria. Si ergo in eadem re sunt praedicta contradictoria ante omnem praecisionem mentis, oportet aliqua intercedat distinctio, quae nec sit realis, cum haec praedicta de eadem re praedicentur; nec etiam sit rationis solius, cum antevertat talis distinctio operam mentis. Atqui praedictae rationes intellectae praedicta contradictoria in eadem re subaudiunt, cuiusmodi sunt: *Homo est similis bruto, qua animal; Homo est dissimilis bruto, qua rationalis*; vel etiam sic: *Deus intelligit per intellectum; Deus non intelligit per voluntatem.*

470. **Distinctio formalis ex natura rei.** — Quod si quaeratur, in quo tandem posita sit huiusmodi distinctio, duae sunt praeicipuae sententiae. Prior est Scoti vel certe Scotistarum (1), qui praeter distinctionem realem ac rationis, aliam in medium protulerunt, quae vocata est *formalis ex natura rei*. Nimirum in hac sententia fit distinctio inter *rem* et *formalitatem*. Conceditur autem, diversas *formalitates*, puta *animalitatem, rationalitatem*, in uno eodemque individuo esse unam rem, non plures: ipsae tamen *formalitates* dicuntur distinctae ad invicem, atque adeo

(1) Dubium controversumque est apud auctores nun revera doctor subtilis verbo tantum, an reipsa a communi sententia discesserit, quae distinctionem omnem non realem non habet nisi tanquam rationis ratiocinatae. Difficile tamen videtur id sustinere. Sic enim arguit loquens de attributis divinis, "Est ergo ibi distinctio tertia (quae scilicet alia sit a distinctione reali et rationis), *praecedens intellectum omni modo*. Et est ista, quod sapientia est in re ex natura rei, et bonitas est in re ex natura rei. Sapientia autem in re formaliter non est bonitas in re; quod probatur. Quia si infinita sapientia esset infinita bonitas, etiam sapientia in communi esset formaliter bonitas in communi; infinitas enim non destruit formalem rationem illius cui additur. Hoc autem est falsum: Ergo, (1. *Dist.* 8. q. 4.) Confer MASTRUM in *Metaph. Arist.* (*Disp.* 6. n. 160.).

unam de altera negari posse, sic videlicet ut vere dicatur: *Animalitas Petri non est eius rationalitas*. Haec tamen negativa propositio non sic intelligitur ex mente eorum, qui huic opinioni patrocinantur, quemadmodum nos etiam eam admisimus [372] ex mente Doctoris Angelici, reduciendo videlicet ipsum statum praecisionis mentalis, quem termini abstracti praeseferunt et significant. Nempe praecipuum caput huius sententiae in eo est, ut *antede denter ad omnem mentis praecisionem* talis negatio locum habeat. Et hac de causa haec distinctio dicitur quidem *formalis*, et per hoc opponitur distinctio reali, sed additur eam esse *ex natura rei*, h. e. antedecenter ad statum praecisionis, quem res sortitur in intellectu. In hanc sententiam, praeter scholam Doctoris subtilis, concessit etiam Sylvester Maurus (*Og. Philos.* tom. 1. q. 32.).

471. **Distinctio virtualis intrinseca.** — Praedicta distinctio pluribus displicuit, ut quae realem eiusdem rei attributorum identitatem non satis tueatur, et compositionem aliquam proprii nominis in simplicissima actualitate divinae essentiae videatur admittere. Quocirca excogitarunt aliud genus distinctionis, quae nec realis sit nec rationis, eamque appellarunt *virtualem*. Porro distinctio *virtualis*, spectata nominis significatione, est distinctio non quidem *actu*, sed *virtute*, et *potestate*, pro eo quantum ea, quae sic distingui dicuntur, etsi non sunt plura, aequivalent tamen pluribus. Id vero dupliciter adhuc accipi potest. Primo modo, propterea quod una eademque res varios gradus perfectionis sua simplicitate complectitur, qui in aliis rebus discreti inveniuntur. Hoc pacto una eademque anima humana, salva suae substantiae simplicitate, continet triplicis vitae gradum, intellectivae, sensitivae, et vegetativae, et sic aequivalat diversis perfectionibus vitae, quae inveniuntur in substantiis pure spiritualibus, in brutis, ac vegetabilibus. Sic etiam Deus dicitur aequivalere perfectionibus omnium creaturarum. Iam vero distinctio virtualis hoc modo intellecta nullam facessit difficultatem, eaque ab omnibus admittitur: est enim ipsissima distinctio *ratiocinatae*, quam supra de-

claravimus, ut ex utriusque descriptione patet. Dicitur itaque secundo *virtualis* distinctio a nonnullis propterea quia aequivalat non solum distinctis, sed etiam *distinctioni distinctorum*, quatenus eadem ipsissima res sine ulla actuali pluralitate est capax suscipiendi praedicata contradictoria, ut si actu multiplex in se esset. Appellatur *virtualis intrinseca*, quia talis est non per extrinsecam denominationem a pluralitate conceptuum, quibus una eademque res diversimode intelligitur, sed omnino independentem a quacumque praecisione mentis. Argumento fuit praecipue augustissimum mysterium divinae Trinitatis. Fide enim docente scimus sequentes propositiones esse simul veras: *Divinitas non est nec generans, nec genita, nec procedens; Eadem divinitas est Pater qui generat, Filius qui generatur, et Spiritus Sanctus qui a Patre Filioque procedit (Conc. Later. IV.)*. Quocirca nonnulli hoc distinctionis genus coarctant ad res divinas, ac nolunt extendere ad res creatas. Sed prorsus omnino immerito fit haec limitatio. Vel enim repugnantiam conceptuum continet, idem actu ac multiplex virtute contradictoria suscipere, atque ita nec debet admitti in Trinitate, quae profecto non est receptaculum impossibilem: vel non repugnat, atque ita nulla est ratio, cur poni non possit etiam in rebus creatis.

THESIS III.

Attributa seu praedicata rei essentialia in uno eodemque individuo non sunt distincta realiter, sed sola ratione ratiocinata. Distinctio, quam dicunt formalem ex natura rei, vel virtutalem intrinsecam, in hunc finem a quibusdam excogitata, necessaria non est, sed ficta et impossibilis.

472. *Probatio I. partis.* — Ut patet ex tradita declaratione, praesens quaestio duplici de causa agitur,

videlicet primo ratione *diversorum attributorum*, quae de Deo praedicantur; ac secundo propter diversos gradus specificos et genericos, quibus res creatae continentur. Iam vero ad excludendam distinctionem realem inter Deum eiusque attributa sufficit hoc principium fide certum, et opportuniori loco demonstrandum. Nempe Deus cum sit ipsum esse per se subsistens, quidquid in eo est, ipse est, nimirum nihil habet quod ipse non sit (1). Atqui id falsum esset, si aliqua realis distinctio existeret inter Deum eiusque attributa. Tunc enim se haberent ad ipsum ut partes ad totum. Pars autem nequit praedicari de toto. * Omne compositum, ait S. Thomas, est aliquid quod non convenit alicui suarum partium. Et quidem in totis dissimilium partium manifestum est; nulla enim partium hominis est homo, neque aliqua partium pedis est pes. In totis vero similibus partium, licet aliquid quod dicitur de toto, dicatur de parte, sicut pars aëris est aër, et aquae aqua; aliud tamen dicitur de toto quod non convenit alicui partium; non enim si tota aqua est bicubita, et pars eius. Sic igitur in omni composito est aliquid quod non est ipsum. (Summa th. 1. p. q. 3. a. 7.) Quod vero spectat diversos gradus specificos et genericos creatorum, duplici argumento id demonstramus.

(1) Hanc veritatem sic declaravit Concilium Rhemense sub Eugenio III contra errores Gilberti Porretani. * Credimus, et confitemur, simplicem naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin divinitas sit Deus et Deus divinitas. Sicuti vero dicitur, Dominum sapientia sapientem, magnitudinis magnum, divinitate Deum esse et alia huiusmodi, credimus non nisi ea sapientia, quae est ipse Deus, sapientem esse; non nisi ea aeternitate, quae est ipse; non nisi ea divinitate Deum, quae est ipse; id est seipso sapientem, magnum, aeternum, unum Deum esse. Credimus et confitemur, solum Deum Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum aeternum esse, nec aliquas omnino res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates vel unitates dicuntur, vel alia huiusmodi adesse Deo, quae sint ab aeterno, et non sint Deus. Confer I. KLECKOX (Filos. antica, Tratt. 2. c. 5).

I. In uno eodemque individuo, ex. gr. Petro, per unam eandemque differentiam individuaem, qua contrahitur gradus specificus humanitatis ad hanc humanitatem, contrahitur etiam gradus genericus animalitatis (idem dic' de ceteris, puta viventis, corporis, substantiae), ad hanc numero animalitatem. Ergo isti gradus non possunt plus distingui ad invicem, quam unusquisque distinguatur a sua differentia individuali; quippe plenissimam applicationem habet in re praesenti pronuntiatum identitatis; *Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*. Atqui distinctio nulla realis intercedit naturam inter eiusque differentiam individuaem. Ergo similis distinctio neganda est inter gradus specificos et genericos ad se comparatos. Ita fere Suarez (*Metaph.* D. 6. sect. 9. n. 15.).

In hoc argumento consequentia patet; subsumpta minor demonstrata fuit in Logica [362]. Quamobrem antecedens tantum probari debet. Id porro sic conficimus. Gradus genericus, puta animalitas, non intelligitur esse proxime capax differentiae individualis, qua contrahitur ad hoc animal, nisi praeintelligatur iam contractus per differentiam ad aliquam determinatam speciem, puta hominis vel bruti; secus daretur aliquod individuum animalis nec rationale nec irrationale, quod repugnat. Ergo differentia individualis, qua contrahitur gradus genericus ad hoc animal, non est alia ab ea, qua contrahitur animal ad individuum huius vel illius speciei, puta hominis vel bruti. Praeterea, ut optime arguit Suarez l. c.: " Non est minus essentialis ordo inter differentiam genericam, specificam, et individuaem, quam inter superiores differentias essentialia magis et minus universales usque ad specificam. Sed corpus, verbi gratia, non est aptum contrahi per differentiam animalis, nisi media differentia viventis, neque vegetativum per differentiam rationalis, nisi media differentia sentientis. Ergo neque animal est determinabile per differentiam individuaem huius animalis, verbi gratia Petri, nisi media differentia hominis seu rationalis. "

II. Distinctiones reales non sunt obrudendae sine sufficienti fundamento. Hic enim valet commune pronuntiatum: *Non sunt multiplicanda entia sine necessitate*. Atqui nulla est rationalis causa ad distinctionem in re praesenti stabiliendam. Si qua enim esset, tandem aliquando in hoc posita invenitur, in convenientia videlicet et disconvenientia, qua plures res creatae generice conveniunt, ac specificè differunt. Atqui ad hoc plane sufficit similitudo realis secundum genus una cum dissimilitudine secundum speciem, et abstractio praecisiva ex parte mentis [332, 359]. Accedit quod huiusmodi convenientia et disconvenientia habetur etiam in substantiis simplicibus. Profecto, eadem simplex substantia animae humanae convenit generice cum ceteris formis substantialibus in hoc, quod sit vera ac substantialis forma corporis; item generice etiam convenit cum anima brutorum et vegetalium in hoc, quod sit principium vitae sensitivae et vegetativae; differt autem specificè ab his omnibus pro eo quod sit rationalis. Atqui certe illaesa simplicitatis unitate substantiae animae rationalis, nequeunt haec dici reipsa distincta. Confer testimonium S. Thomae, quod alibi recitavimus [334].

473. **Probatio II. partis.** — Exclusimus in praecedenti parte distinctionem realem. Ut vero concludamus aliam propositionis partem, qua non aliud genus distinctionis hac in re agnosimus, nisi rationis ratiocinatae, satis erit de medio auferre duplicem alium modum distinctionis excogitatum, nimirum *formalis ex natura rei*, et *virtualis intrinsecae*. Sic porro arguimus.

I. **Distinctio, quae dicitur formalis ex natura rei**, est vera ac proprie dicta distinctio realis. Atqui inter attributa rei essentialia nequit admitti distinctio, quae sit vere et proprie realis, ut probatum est. Ergo nec formalis ex natura rei. Prob. maior. Distinctio realis veri et proprii nominis ea est, quae contradictorie opponitur identitati reali vere et proprie tali; identitas enim et distinctio immediate opponuntur. Atqui duo sunt realiter identica, quorum unum de altero in recto affirmari potest, sensu

scilicet reali seu antecedenter ad omnem mentis praecisionem. Ergo realiter distinguuntur invicem, quorum unum de altero in recto negari potest in sensu reali seu antecedenter ad omnem mentis praecisionem. Porro sic habent formalitates, quae ex mente Scotistarum inducuntur; nam citra omnem mentis praecisionem verum est dicere: *Animalitas in Petro non est eius rationalitas; Divinus intellectus non est divina voluntas*; quibus negationibus subiectum et praedicatum non accipiuntur in hac opinione, prout reduplicant statum praecisionis, quem habent in mente, sed secundum modum ipsam, quem habent in re cui insunt.

II. Argumentum recitatum est plane sufficiens: est enim firmum omnino, neque hactenus a scotistica subtilitate solutum fuit. Reliquum est, ut alium modum distinctionis excludamus, nimirum *virtualis intrinsecae*. Eam vero ideo inficiamus, quia est destructiva primi principii. Vel enim praedicata contradictoria, quae ope huius distinctionis de eadem re verificari dicuntur, vere et proprie non sunt huiusmodi, sed apparenter dumtaxat; vel contra, id ipsum quod ab uno praedicatum ponitur, ab altero removetur, in quo posita est vera et proprie dicta contradictio. Si primum dicatur, nihil non profertur in medium cum hoc distinctionis genere, quod in omni distinctione rationis locum non habeat. Praeterea est plane pervertere modum loquendi, ut appellentur praedicata contradictoria, quae vere et proprie sibi non contradicunt. Quod si altera eligatur optio, perspicuum plane est, veritatem primi principii cum hac distinctione minime cohaerere. Neque obstat si dicatur, contradictionem fore utique, si virtualis distinctio in re minime inesset; non vero, si distinctio id generis intercedat. Hoc enim est ludere verbis. Quid enim aliud est contradictio, nisi duo praedicata vere contradictoria de uno eodemque simul verificari? Quocirca affirmare, quod duo praedicata vere contradictoria de uno eodemque simul verificentur, et negare ope distinctionis virtualis quod contradictio ulla intercedat, tantumdem plane est, ac dicere, ope distinctionis virtualis haberi

contradictionem ubi non est contradictio. Porro quid haec enuntiatione contradictorium magis? Nec iterum valeat recursus ad divina mysteria. Haec enim sunt utique *supra rationem*, sed minime *contra rationem* [425]. Atqui nihil magis contra rationem afferri potest, quam quod ipsam veritatem primi principii directe impedit. Quare egregie Derkennis, cum retulisset Nominales quosdam ex sententia Okami limitasse primum principium dicentes, numquam contradictoria admittenda esse de eodem, nisi habeantur in Scriptura Sacra, vel ex determinatione Ecclesiae, vel evidenter ex talibus inferantur, haec habet. "Non tantum nihil explicant, sed ipsis divinis mysteriis ac fidei nostrae iniurii sunt, utpote quae incredibilia faciunt, et cum ratione pugnantia, ac non tantum supra, sed et contra naturam, ac lumen rationis. Immo et ab ipsa Scriptura, quam hic praepostere venerari volunt, manifeste redarguntur. Apostolus enim 2. Cor. 1. 17.... ab omni eo, quod docuerat, concernente nimirum divina et Dei Filium, ac proinde SS. Trinitatis mysterium, removet est et non, h. e. affirmationem et negationem eiusdem de eodem, et testatur tantum reperiri est." (*De Deo*, Disp. 2. c. 3. §. 1.)

Solvuntur difficultates.

474. Praeter obiectiones suo loco examinatas [367], quas adversarii communes habent cum Ultra-Realibus, haec alia opponunt in re praesenti.

Obiectio I. — Nisi gradus specifici et generici plusquam ratione distinguantur, necesse est dicere, non maiorem esse distinctionem inter animalitatem ex. gr. et rationalitatem Petri, atque inter diversa Dei attributa. Praeterea eadem esset unitas conceptus in ratione generica respectu suorum inferiorum, ac in conceptu obiectivo entis; quemadmodum enim ratio obiectiva entis diversificatur in notionibus sibi subiectis, atque adeo est analogica, non univoca, similiter ratio generica non eodem

modo conveniret speciebus, et sic analogia etiam dici deberet non univoca. Atqui nihil horum communiter admittitur.

Respondeo. *Neg. utramque illationem.* Quamvis tum divina attributa essentialia, tum diversi gradus generici et speciei creaturarum ratione ratiocinata distinguantur, haec tamen distinctio in illis est late praecisiva, in his vero *strictè* praecisiva, ut supra declaravimus [468], et in theologia naturali uberius ostenditur. Quod spectat vero analogiam, quae ex doctrina proposita colligitur, libenter quidem concedimus, aliquem analogiae modum semper latere sub conceptu generico respectu suarum specierum. Nempe ea est, quam in Logica cum D. Thoma vocavimus *secundum esse* [34]. At vero analogia entis est *secundum esse simul et intentionem*. Ratio discriminis est in eo, quod ratio generica, prout est contracta per differentiam unius speciei, non dicitur dependenter et secundum participationem ab eadem ratione, ut contrahitur per differentiam oppositam. Sic animalitas, prout est in bruto, non intelligitur per modum participationis eiusdem animalitatis, prout est in homine; sed potius per modum oppositionis. Et inde fit, ut animalitatis ratio ita abstrahatur, ut uniformiter in utroque extremo inveniat. Contra, ratio entis, in quantum huiusmodi, postulat ita descendere ad sua inferiora, ut per prius et absolute dicatur de Deo, ac deinde transfertur ad creaturas et ad accidentia secundum eiusdem rationis participationem quamdam imperfectam et proportionem, quam habent ad Deum vel substantiam. Confer quae supra diximus [436, seqq.]; item quae scite observat Kleutgen (*Filos. antica*, Tratt. 6. n. 599, 600).

Obiectio II. Definitio explicat rei essentiam. Ergo illae rationes, quarum neutra, ne implicite quidem, includitur in alterius definitione, sunt ex natura rei distinctae. Atqui sic se habent rationes genericae, ac differentiales.

Respondeo. *Dist. antec.* Definitio explicat rei essentiam, prout est praecisa per mentis operationem, *conc.*

secundum modum essendi, quem habet a parte rei, *subd.*; explicat proxime et adaequate, *neg.*; remote et inadaequate, *conc.* *Contrad. pariter consequens, ac min. subs.*

Ad huius rei intelligentiam revoca in mentem, quod in Logica docuimus [92]. Nimirum quod proxime definitur, est res *prout mente concepta*, remote autem est definitur res *prout subsistit a parte rei* (1). Quare *definitum* est terminus secundae intentionis [37]. Nihil mirum proinde, si in rei alicuius definitione minime implicitum sit aliquid, quod cum eadem re unum idemque est. Id enim fit consequenter ad praecisionem mentis, qua res concipitur. Quemadmodum vero conceptus, quo sic res concipitur, non est ei adaequatus, ita et definitio, si nimirum comparantur cum re prout subsistit extra mentem. Quare si aliquid adaequate comprehenderetur, profecto nulla tunc haberetur distinctio inter praedicata eius essentialia, nec realis, nec rationis.

Obiectio III. — Intellectus noster naturaliter est dispositus ut primum suum obiectum, quidditatem scilicet, cognoscat sicuti est. Atqui cognosci rei quidditatem quasi compositam ex genere et differentia. Ergo rationes generis et differentiae veram compositionem in re faciunt ac propterea ex natura rei sunt distinctae.

Respondeo. *Dist. minorem.* Ita scilicet ut haec compositio sit ex parte modi, quo rem intelligit, *conc.*; ita ut sit ex parte ipsius rei, quae concipitur, *neg.* Equivocatio manifesta est. Non idem quippe est cognoscere rem compositam et cognoscere rem componendo. Porro hoc secundum haberi potest et reipsa habetur in nostro intel-

(1) Apposite in hanc rem I. B. DE BENEDECTIS, 'Definire est explicare et clarum facere, quod obscurum erat; res autem in se nec complicata est, ut sit explicanda, nec obscura, ut sit declaranda. Sed istae sunt passionēs cognitionis, non rei. Cognitionis enim est quae implicite et obscure rem attingit; adeoque luce indiget nova perfectionis nolitiae, qua declaratur. Res ergo non per se, sed per cognitionem, cui subest, habet ut definitionis sit capax.' (*Philos. Peripat.* tom. 4. lib. 1. q. 5. c. 3. §. 3.)

lectu, sed non est opus compositione ulla in rebus: sicuti qui cognoscit iudicando et inferendo, non opus habet iudicio et illatione in re ipsa.

Instabis. Genus et differentia sunt partes definitionis, ac se habent ut materia ad formam. Ergo sunt verae partes definiti, ac unum ad alterum refertur ut potentia vera ad summ actum. Atqui neutrum cum sola distinctione rationis intelligitur.

Respondeo. *Conc. antec. ac neg. conseq.* Apposite Suarez. * Definitio est opus intellectus, et necessario requirit compositionem aliquam veram et propriam ex distinctis conceptibus, sicut definitio voce prolata distinctis vocibus partialibus constare debet: explicat enim distincte rei naturam, quod a nobis una voce, vel uno simplici conceptu fieri non potest, et hac ratione dicitur constare ex partibus. Non est tamen necesse, ut singulae partes definitionis explicent singulas partes definiti in re distinctas, sed unaquaeque potest dicere totam naturam vel entitatem definiti, una tamen (genus) dicit illam confuse et sub ratione aliqua communi et potentiali; alia vero sub ratione magis determinata et propria, et huiusmodi rationes diversae possunt vocari partes definiti, non secundum rem, sed secundum rationem tantum: *Nam definitum, ut definitum, dicit denominationem rationis.* (Metaph. D. 6. sect. 9. n. 22.) Hinc intelligitur, quo pacto genus et differentia se habeant, sicut materia ad formam, videlicet non per proprietatem physicam, sed secundum quamdam proportionem et analogiam. Sicut enim in ordine physico materia est potentia indeterminata, quae acturatur et in specie constituitur; sic in modo cognitionis humanae eadem res concipitur sub ratione generis ac differentiae, sed quatenus substatur conceptui generico, confuse cognoscitur et indistincte, quae confusio et indistinctio auferitur ope differentiae. Confer quae in Logica diximus [73].

Obiectio IV. — *Generare et non generare* sunt praedicata contradictoria. Atqui, prout supra dictum est, in divinis essentia non generat, paternitas vero generat.

Ergo saltem in divinis oportet admittere distinctionem virtualem intrinsecam, essentiae videlicet ab attributis relativis.

Ante responsionem, haec licet supponere ex theologia. Nempe summa illa res, quae est substantia, essentia, seu natura divina, dupliciter spectari potest. Uno modo, prout in se est, et *remota qualibet mentis praecisione*. Sic spectata comprehendit non solum, quae tribus personis sunt communia, sed ea quoque quibus personae invicem distinguuntur. Quare si praedicata illa, quae in obiectione tanguntur, nimirum *generare et non generare*, de hac summa re sic inspecta enuntientur, si videlicet formentur hae binae propositiones contradictoriae: *Haec summa res generat, Haec summa res non generat*: minime ambae sunt simul verae, sed propositio negativa est falsa ob negationis universalitatem cum statu reali essentiae divinae haud congruentem. Alio modo spectari potest *cum ordine ad conceptum mentis praecisivum*, quo nimirum concipiatur dumtaxat secundum praedicata absoluta, vel secundum unum praedicatum relativum, puta paternitatem, prout opponitur suo correlativo. Ita si consideretur, nihil prohibet, quominus obiecta duo praedicata, h. e. *generat, non generat*, simul enuntientur de una eademque re, *ut substatur his diversis conceptibus praecisivis*. Tum vero hae binae propositiones existunt: *Haec summa res, secundum formalitatem absoluti, non generat: Haec eadem summa res, secundum formalitatem paternitatis, generat*. Hae porro sunt quidem ambae verae, minime tamen enuntiant contradictoria de una eademque re, ut ex regulis dialecticis [138] manifeste liquet. Iam age, hunc sensum et non alium habent pronuntiata illa theologica, *Essentia in divinis non generat, Paternitas vero generat*, vel etiam, *Filius generatur per intellectum, non per voluntatem*, aliaque generis eiusdem. Nempe nomina *essentia, paternitas, intellectus, voluntas*, et similia, propterea quia sunt abstracta, simpliciter si proferantur, significant rem cum praecisione mentis [372]. Hac ratione hanc rem declaravi in theologicis praedicationibus

De Trinitate, quas Romae tradebam in Pontificia Universitate Gregoriana.

His praehabitis, ad obiectionem factam ita respondeo. *Distinguo maiorem*. Generare et non generare sunt praedicata contradictoria respectu eiusdem rei secundum eandem obiectivam rationem spectatae, *conc.*; respectu diversarum rerum, vel rei eiusdem sub diversa obiectiva ratione spectatae, *neg. Contradistinguo pariter minorem*. In divinis essentia non generat, paternitas vero generat, si haec accipiantur cum praecisione mentis, quam nomina *essentiae*, vel *paternitatis*, de se significant, ac propterea si enuntientur de eadem re quidem, sed sub diversa obiectiva ratione spectata, *conc.*; si ab hac praecisione termini absolvantur, *neg.* Apposite S. Thomas. * In quantum essentia et persona (in divinis) differunt secundum intelligentiae rationem, sequitur quod aliquid possit affirmari de uno, quod negatur de altero: et per consequens quod supposito uno non supponatur alterum. (Summa th. 1. p. q. 39. a. 1. ad 2.)

SECTIO IV.

De veritate ontologica.

475. **Propria notio veritatis rebus attributae.** — Dicendum, ait Angelicus, quod sicut bonum nominat id, in quod tendit appetitus, ita verum nominat id, in quod tendit intellectus. Hoc autem distat inter appetitum et intellectum, sive quancumque cognitionem, quia cognitio est secundum quod cognitum est in cognoscente; appetitus autem est secundum quod appetens inclinatur in ipsam rem appetitam: et sic terminus appetitus, quod est bonum, est in re appetibili; sed terminus cognitionis, quod est verum, est in ipso intellectu. Sicut autem bonum est in re, in quantum habet ordinem ad appe-

titum, et propter hoc ratio bonitatis derivatur a re appetibili in appetitum, secundum quod appetitus dicitur bonus, prout est boni; ita, cum verum sit in intellectum, secundum quod conformatur rei intellectae, necesse est, quod ratio veri ab intellectu ad rem intellectam derivetur, ut res etiam intellecta vera dicatur secundum quod habet aliquem ordinem ad intellectum. (Summa th. 1. p. q. 16. a. 1.) (1). Ex hoc luculenti testimonio dilucide apparet, ac profunde confirmatur id, quod iam in Logica indicavimus [206], in quo nimirum reponi debeat propria notio veritatis, prout rebus attribuitur. Nempe res dicuntur verae propterea quia conformes sunt aut esse possunt proprio conceptui earumdem, qui scilicet eas repraesentet sicuti sunt. In hoc autem quod conceptus repraesentet rem sicuti est, consistit ipsismet conceptus veritas. Ergo res tandem dicuntur verae, quia conformantur vero conceptui earumdem; et sic quemadmodum appetitus dicitur bonus quia est boni, ita e converso res dicitur vera quia observatur verae cognitioni. Apposite in hanc rem Suarez. * Existimo, ait, hunc veri entis conceptum esse virtualiter comparativum unius rei vel naturae ad proprium conceptum eius rei, quae vera esse dicitur. Ul, verbi gratia, ad profitendum Eucharistiae mysterium, dicere solemus hostiam consecratam esse verum corpus Christi Domini, ubi per verum corpus nihil aliud significamus, quam illud idem corpus, quod per proprium ac verum conceptum corporis Christi repraesentatur. Et similiter ad confitendum mysterium Incarnationis dicimus, Deum esse verum hominem, id est, habere illam naturam, quam in essentiali specie hominis vere concipimus. (Metaph. D. 8. sect. 7. n. 25.)

476. **Corollaria ex superiorij doctrina.** — Ex tradita declaratione duo facile intelliguntur.

(1) * Non est verum aut falsum in rebus (ut quod bonum, verum; quod vero malum, falsum), sed in mente. ARISTOTELES. (4. al. 5. Metaph. c. 4.)

I. Quamvis rei entitas causa sit cognitionis verae iuxta illud Aristotelis (*Categ. c. 3. al. 5.*): *Propterea quod res sit aut non sit, oratio vera aut falsa dicitur*; forma tamen, unde veritatis denominatio accipitur, principalis est in mente, quam in re. Apposite rursus S. Thomas. * Dicendum, quod licet veritas intellectus nostri a re causeatur, non tamen oportet, quod in re per prius inveniatur ratio veritatis, sicut neque in medicina per prius invenitur ratio sanitatis, quam in animali; virtus enim medicinae, non sanitas eius, causat sanitatem, cum non sit agens univocum. Et similiter esse rei, non veritas eius, causat veritatem intellectus. Unde Philosophus dicit, quod opinio vel oratio vera est ex eo quod res est, non ex eo quod res vera est. (*loc. cit. ad 3.*) Confer etiam doctrinam ab eo traditam (Qq. Disp. *Verit.* q. 1. a. 2., 1. *Dist.* 19. q. 5. a. 1.). Quare si quis attente consideret, hoc ordine se excipiunt praedictae notiones: primo videlicet est ratio entis; dein, ratio veri conceptus, quatenus hic adaequatur rei ut in se est; postremo, ratio veri in ipsa re, prout haec adaequatur vero conceptui eiusdem.

II. Adaequatio cum conceptu, quam significamus cum dicimus rem esse veram, non est aliquid mere extrinsecum rei, quae vera dicitur. Nihil enim aliud est, quam ipsamet rei entitas intellectui adaequata. Quare hoc ut habeatur, duo concurrunt: primo quidem ipsa rei entitas, cui quasi fundamento nititur haec adaequatio; dein vero ipse conceptus mentis, cui rei entitas adaequatur, et in quo ratio veri formaliter perficitur. Illud, ut patet, est rei intrinsecum, immo ab ea plane indistinctum; hoc vero est connotatum eidem extrinsecum. * Denominantur, ait S. Thomas, res verae a veritate, quae est in intellectu divino vel in intellectu humano, sicut denominatur cibus sanus a sanitate quae est in animali, et non sicut a forma inhaerente: sed a veritate quae est in ipsa re, (quae nihil est aliud, quam entitas intellectui adaequata, vel intellectum sibi adaequans), sicut a forma inhaerente: sicut cibus denominatur sanus a qualitate sua, a qua sanus dicitur. (Qq. Disp. *Verit.* q. 1. a. 4.)

477. **Quotuplici ratione res falsae dicantur.** — Ut verum tribuitur rebus per ordinem ad intellectum verum, sic etiam falsitas dicitur rebus inesse respectu habito ad existimationem falsam, quae de ipsis existit aut existere potest. Id autem contingit vel ex sola denominatione a falsitate mentis, vel ex aliquo ordine ad mentem ipsi rebus inhaerente. Primo modo dicuntur falsa aliqua propterea quia falsum iudicium de ipsis habetur, tametsi nullus ordo nec causae nec effectus existat in ipsis respectu talis iudicii, ut si amicus verus ac sincerus appelletur falsus amicus, quia talis per errorem creditur. Alio modo res strictiori sensu vocantur falsae ideo quod non adaequantur conceptui cui natae sunt adaequari. Id autem fieri potest respectu cognitionis speculativae, vel practicae [402]. Respectu prioris cognitionis res aliqua idcirco dicitur falsa, quia inducit falsum iudicium in mentem humanam. Nam, ut observat S. Thomas: * Res notitiam sui facit in anima per ea, quae de ipsa exterius apparent: quia cognitio nostra initium a sensu sumit, cuius per se obiectum sunt sensibiles qualitates; unde (1. *De Anima*, c. 1.), dicitur quod accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est. Et ideo, quando in aliqua re apparent sensibiles qualitates demonstrantes naturam, quae eis non subest, dicitur res illa esse falsa. Unde Philosophus dicit (6. *Metaph.*), quod illa dicuntur falsa, quae nata sunt videri aut qualia non sunt, aut quae non sunt: ut aurum falsum, in quo exterius apparet color auri, et alia huiusmodi accidentia, cum tamen interius natura auri non subsit. (Qq. Disp. *Verit.* q. 1. a. 10.) Habetur autem falsitas comparate ad intellectum practicum in rebus artificialibus, quae dicuntur falsae, in quantum deficient a forma artis, ad quam exigi debent. Haec ratione dicitur artifex falsum opus efficere, quando deficit ab operatione artis,

THESES IV.

Verum et ens convertuntur; quare, in rigore et simpliciter loquendo, nulla res dicitur falsa, sed per accidens tantum ac secundum quid. Sunt autem res verae primario per ordinem ad intellectum divinum; secundario in ordine ad intellectum creatum.

478. *Declaratio I. partis.* — Colligitur ex declaratione terminorum supra tradita. Unumquodque enim est cognoscibile pro eo quantum est et dicitur ens: cuius rei gratia anima est quodammodo omnia, per sensum videlicet et intellectum. Quod autem est cognoscibile, prout huiusmodi, habet esse conforme seu adaequatum verae cognitioni quae de eo habetur aut haberi potest. Hinc sequitur primo, omne ens, prout huiusmodi, esse verum, et vicissim, ac proinde haec mutuo reciprocari. Sequitur secundo, nullam rem dici posse falsam, in rigore et simpliciter loquendo, sed per accidens tantum ac secundum quid. Nam, stricte ac simpliciter loquendo, res dicitur vera vel falsa respectu illius conceptus, a quo repraesentari ipsa exigit, non autem respectu illius a quo vel non repraesentatur vel repraesentari non exigit. Atqui res quaelibet exigit repraesentari secundum id quod est, non secundum id quod non est: sic autem vera est, non falsa. Hinc S. Thomas, * Res comparata ad intellectum secundum id quod est, dicitur vera, secundum id, quod non est, dicitur falsa. Unde *verus tragicodius est falsus Hector*, ut dicitur in 2. *Soliloq.* c. 8. (Summa th. 1. p. q. 17. a. 1. ad 1.)

Obiicies. Verum proprie est in mente, ens contra primario dicitur de re, prout est extra mentem. Ergo ambo non convertuntur.

Respondeo cum S. Thoma hoc modo. * Verum di-

citur per prius de intellectu, et per posterius de re sibi adaequata; et utroque modo convertitur cum ente, sed diversimode. Quia secundum quod dicitur de rebus, convertitur cum ente per praedicationem: omne enim ens est adaequatum intellectui divino, et potens sibi adaequare intellectum humanum, et e converso. Si autem accipiatur verum, prout dicitur de intellectu, sic convertitur cum ente, quod est extra animam, non per praedicationem, sed per convenientiam; eo quod cuilibet vero intellectui oportet, quod respondeat ens aliquod, et e converso. (Qq. Disp. *Verit.* q. 1. a. 2. ad 1.)

479. *Probatio II. partis.* — Cum enim res dicitur vera per ordinem ad intellectum, primario dicenda est vera respectu illius intellectus, ad quem primario refertur. Atqui hic non est nisi divinus. Et re quidem vera

I. Id manifestum est quoad ipsam veritatem increatam eiusdem divinae essentiae. Haec enim est proprium obiectum solius divini intellectus. Atqui res primario respicit intellectum, cuius est proprium obiectum, non autem alium quemcumque intellectum, ut patet ex terminis. Ergo essentia divina primario respicit divinum intellectum. Quin immo, sicut est suum esse, ita est suum intelligere, ac propterea est ipsa veritas divini intellectus.

II. Id ipsum patet, si sermo sit de rebus naturalibus creatis, quae videlicet natura constant, non arte. Res enim respicit intellectum potius, a quo per se dependet in suo esse, quam illum, a quo minime dependet. Atqui res naturales per se in esse dependent ab intellectu divino, non autem ab intellectu creato. * Sciendum, ait S. Thomas, quod res aliter comparatur ad intellectum practicum, aliter ad speculativum. Intellectus enim practicus causat res, unde est mensuratio rerum, quae per ipsum fiunt; sed intellectus speculativus, quia accipit a rebus, est quodammodo motus ab ipsis rebus, et ita res mensurant ipsum. Ex quo patet, quod res naturales, ex quibus intellectus noster scientiam accipit, mensurant in-

tellum nostrum, ut dicitur (10. *Metaphys.* tex. 9.), sed sunt mensurae ab intellectu divino; in quo sunt omnia creata, sicut omnia artificata in intellectu artificis. (Qq. Disp. *Verit.* q. 1. a. 2.)

III. Si denique loquamur de veritate rerum artificialium, prout huiusmodi, etsi hae possunt comparari etiam cum intellectu creato, ut mensuratum cum sua mensura, atque adeo specialiori titulo verae dicantur respectu etiam huius intellectus, manet tamen semper intacta primaria earundem relatio respectu solius intellectus divini. Ars enim quaelibet creata, eiusque principia ac dictamina, in ipsa rerum natura inmitti debent, eamque, quoad fieri potest, acmulari. Atqui natura, ut modo probavimus, primario dicitur vera respectu divini intellectus dumtaxat. Ergo ipsamet veritas rerum artificialium, quam habent ex ordine ad creatum intellectum, tamquam fundamento, inmittitur ipsi veritati, quam natura, qua talis, habet ad intellectum divinum.

Confirmantur haec omnia sequenti argumento. Quod maxime est in aliquo genere, prius est natura eo, quod tale est per participationem. Atqui veritas maxime convenit rebus per ordinem ad divinum intellectum, ac nonnisi participatione quadam respectu creati intellectus. Ergo primario ipsis convenit respectu divini intellectus, ac secundario respectu intellectus creati. Minor huius argumenti sic declaratur. Res enim divino intellectui conformantur adaequatione omnimoda et essentiali; veritas praeterea divini intellectus, qua verae denominantur, summa est ac infallibilis omnino. Contra, si comparentur cum mente creata; adaequatio enim, quae illis convenit respectu istius, est potentialis potius quam actualis; similiter veritas ipsa, quae in eiusdem conceptu invenitur. Praeterea conformitas, quae intercedit inter cognitionem creatam et res, non est absoluta et ab intrinseco indefectibilis, sed secundum modum limitatae virtutis, qua intellectus perfruitur.

480. *Corollarium.* — Ex dictis manifeste inferitur, rem respectu intellectus creati falsam quandoque

dici, sive cum speculativa, sive cum practica eiusdem cognitione comparetur, ut patet ex triplici modo falsitatis, quem supra [477] declaravimus. Contra, respectu divini intellectus numquam dici queunt falsae, exceptis actionibus pravis creaturarum seu peccata, quae falsitates dici queunt propterea quia ex culpa creatae voluntatis discordant a regula praescripta ex ordinatione divinae mentis. Ad rem Angelicus. * In rebus dependentibus a Deo falsitas inveniri non potest per comparisonem ad intellectum divinum, cum quidquid in rebus accidit, ex ordinatione divini intellectus procedat; nisi forte in voluntariis agentibus tantum, in quorum potestate est subducere se ab ordinatione divini intellectus, (in quo malum culpae consistit); secundum quod ipsa peccata falsitates et mendacia dicuntur in Scripturis, secundum illud Ps. 3.; *Ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium?* Sicut per oppositum operatio virtuosa veritas vitae nominatur, in quantum subditur ordini divini intellectus, sicut dicitur (Ioan. III. 21.): *Qui facit veritatem venit ad lucem.* (Summa th. 1. p. q. 17. a. 1.)

THESIS V.

Veritas rerum recte dicitur una, aeterna, ac immutabilis, primo quidem secundum veritatem divinae mentis; deinde, licet diversimode, ratione earundem essentiae absolute et secundum se consideratae.

481. *Explicatio I. partis.* — In hac prima parte explicare intendimus ex mente Divi Thomae triplicem proprietatem veritatis ontologicae, quae communiter recenseri consuevit, *unitatem* videlicet, *aeternitatem*, et *immutabilitatem*.

I. Unitas quidem repetitur ex summa simplicitate divini intuitus. Quod sic eleganter declarat ab Angelico. * In intellectu nostro non diversificatur veritas nisi du-

pliter: uno modo propter diversitatem cognitorum, de quibus diversas habet conceptiones, quas diversae veritates in anima consequuntur; alio modo ex diverso modo intelligendi. Cursus enim Socraticus est res una; sed anima quae componendo et dividendo cointelligit tempus, ut dicitur (3. *De Anima*, tex. 22. 23.), diversimode intelligit cursum Socraticis, ut praesentem, praeteritum, et futurum; et secundum hoc conceptiones diversas forinat, in quibus diversae veritates inveniuntur. Neuter autem horum modorum diversitatis inveniri potest in divina cognitione. Non enim de diversis rebus diversas cognitiones habet, sed una cognitione cognoscit omnia; quia per unum, scilicet per essentiam suam, cognoscit, non singulis suam cognitionem immittens, ut dicit Dionysius (*De Divin. Nomin.* c. 7.). Similiter eius cognitio non concernit aliquid tempus, cum aeternitate mensuretur, quae abstrahit ab omni tempore, omne tempus continens. (Qq. *Disp. Verit.* q. 1. a. 5.)

II. Hinc sequitur secundo, veritatem rerum, prout divino intellectui conformantur, recte etiam dici aeternam. Divinus enim intuitus, ut dictum modo est, aeternitate mensuratur. Atqui veritas divinae mentis, qua res dicuntur verae, non est aliud a divina cognitione. Neque obstat, quod res ipsae non sint aeternae. Ut enim animadvertit S. Thomas l. c. "In hac adaequatione vel commensuratione intellectus ac rei non requiritur, quod utrumque extremorum sit in actu. Intellectus enim noster potest nunc adaequari his, quae in futurum erunt, nunc autem non sunt; alias non esset haec vera, *Antichristus nascetur*; unde haec denominatur vera a veritate, quae est in intellectu tantum, etiam quando non est res ipsa. Similiter etiam intellectus divinus adaequari potuit ab aeterno his, quae ab aeterno non fuerunt, sed in tempore sunt facta; et sic ea, quae sunt in tempore, denominari possunt vera ab aeterno a veritate aeterna."

III. Dicitur denique haec veritas immutabilis. Duplitem enim cognitio mutari potest de vera in falsam. Veritas namque consistit in quadam conformitate inter in-

tellectum et rem intellectam. Variatur autem conformitas, et evadit difformitas ex mutatione alterius extremi. Hinc fit mutatio de vero in falsum vel ex parte intellectus, eo quod, re eodem modo manente, opinio mutetur; vel contra, si opinione eadem manente, res mutetur. "Si ergo, concludit S. Thomas, sit aliquis intellectus, in quo non possit esse alternatio opinionum, vel cuius acceptionem non potest subterfugere res aliqua, in eo est immutabilis veritas. Talis autem est intellectus divinus." (*Summa th.* 1. p. q. 16. a. 8.)

482. *Explicatio II. partis.* — Ad huius rei intelligentiam revoca in memoriam, quod supra diximus [476], duo esse consideranda in adaequatione, quae veritatem rerum constituit, videlicet ipsam veritatem cognitionis, a qua res denominantur verae, et ipsam earundem entitatem, quae est eis causa, cur talem denominationem recipiant. Iam age, in prima parte exposuimus triplicem recensitam proprietatem veritatis sub primo aspectu; hic id ipsum explicare volumus sub altera consideratione. Quid autem sit essentia *absolute* et *secundum se* inspecta, suo loco docuimus [335]. Sic itaque rem declaramus.

I. Dicitur imprimis hoc modo *una* in rebus veritas duplici sensu. Primo, quatenus essentiae unius eiusdemque rei non alia praedicata per se conveniant propterea quod ab uno quam ab alio intelligatur, secus ac putaverunt antiqui, quorum errorem refert et confutat Philosophus (4. al. 5. *Metaph.*), dicentes omne, quod videtur, esse verum. Sequeretur enim duo contradictoria posse simul esse vera. Alia acceptio huius pronuntii haec est, nimirum non differre praedicata rei essentialia pro diversitate individuum eiusdem speciei: quare quicquid per se convenit, ex. gr. Petro, qua homini, id ipsum per se conveniat Paulo et ceteris hominibus necesse est. Patet autem ex iis, quae ante diximus [359, seqq.], hanc *unitatem*, prout mentis abstractionem antecedit, non esse proprie dictam identitatem, sed *unitatem uniformitatis* seu *similitudinis*.

II. Dicitur secundo *aeterna* veritas attributa essentis per se spectatis, propterea quia enuntiability, quae de pra-